QVÆSTIO MEDICA.

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XX. NOVEMBRIS.

M. CLAVDIO GVERIN, Doctore Medico, moderatore.

An mutua omnium corporis partium concordia quædam atque consensio? 830

HOMO politicum, sapiens, & diuinum animal, rerum optimum, & veluti norma, imò paruus quidam mundus, omnes quotquot habet magnus in se dotes, & prærogatiuas, multò locupletiùs ambitu suo continet: ex quatuor elementorum discordi concordia initium ducens, naturam ignis, aëris, aquæ, terræ proportione quadam, & æquabili secundum iustitiæ leges mixturâ redolet. Nam quæ in hoc meteora fiunt, quæ terrâ nascuntur, qui ex ipsius imis visceribus lapides, metalla eruuntur; quæ diuersæ animalium species passim sobolescunt: quę flumina hos illosue regionum tractus alluunt, irrigant: qui varij flatus variis qualitatibus donati cuncta mouent, perflant, & percellunt: in illo propemodum similia existere, nemini incompertum. Si altiùs speculandum; caput rotundam figuram sortitum, in quo mens sedem & Regiam suam collocat, quid aliud quàm cœlum alterum: oculi ipsi quid nisi stellas, & geminum sydus: cor verò pene medium thoracis occupans, & vniuersum corpus suo vitali calore fouens, ac vegetans, quid aliud quàm solem optimè repræsentat.

CÆTERVM vt in maiore mundo singula membra cuiuscunque naturæ sint, mutuis stant, vigéntque auxiliis: similiter in Microcosmo tam arcto necessitudinis vinculo copulantur partes principes, quarum dominatu regitur vniuersum corpus: vt dandi, & accipiendi iuuentur, & instaurentur vicissitudine, nec possint diu carere mutuâ ope, & seorsim consistere. Rectè olim dictum in nobis ξύμπνοιαν μίαν, ξύρροιαν μίαν, ξυμπαθέα πάντα reperiri: adeo vt instar circuli censeatur corpus humanum, in quo neque occurrat principium, neque finis, sed πάντα ὁμοίως ἀρχὴ καὶ πάντα τελευτή: amicè quidem conspirant, mutuásque tradunt operas, quatuor potissimum modis, viciniâ, similitudine generis, operis societate, vasorum communione: vt si fortè vna illarum partium desit suo officio, cæteras agminatim vnà corruere, & collabi necesse sit.

ECCE iecur, non nisi cum reliquis partibus adumbrari solitum viscus, naturalis œconomiæ fundamentum, venarum radix, sanguinis officina, spiritus naturalis fons vberrimus, concupiscentiæ, & libidinum sedes, satis amplum esse debuit; maius tamen ingluuiei deditis: quamdiu sui memor perbellè fungitur suo munere, trahit & recipit insitâ quadam propensione per venas mesenterij chylum in ventriculo probè excoctum, & elaboratum, per easdem simul, & semel, alternatim sanguinem solius parenchymatis solidi virtute perfectum, ad earum partium alimentum refundit: deinde amplo, & capaci alueo per venam cauam quoquouersum sparsâ ramorum serie in omnes corporis regiones diffundit, atque inde ex integro illo statu ὑλομελίην (cuius salus & incolumitas præsertim in nitore faciei, & oculorum non obscurè elucet, & exploratur) validam esse, & florentem nemo non colligit: quippe quod vt ἰκμαλέον est, & origo gratiosi humoris, cùm illæsæ vigent quatuor facultates, quibus validè stipari debuit, attractrix, retentrix, concoctrix, expultrix: sic vbi tantillùm deficit à pristino robore, vbi obstructionis vitio intercluditur commeatus, necessum est, vt singulæ partes quæ antea, cùm suo bono abundè fruebantur, succulentæ erant, & bene habitæ, planè langueant, propè ad egestatis terminos redactæ. Tale enim est corpus quale hepar; si bene hepati, bene etiam toti corpori.

COR verò vitalis facultatis sedes, Regis instar totam corporis molem gubernans, quò maius est & laxius, eò pauidius animal, augeri in homine per singulos annos ad quinquagesimum, & ab illo tempore ad vitæ terminum decrescere, nec cremari posse cardiaco morbo, cui vinum remedio est, aut veneno mortuis merè fabulosum: quidquid in se continet succi, & spiritus, à fonte humorum iecore mutuatur. Nam videtur vi suâ vernaculâ vndique sanguinem quem excoquat, & adornet in spirituum vitalium generationem prolectare. Aorta princeps arteriarum cordis sinistram partem occupans per anastomoses, mutuâ, & amicâ conspiratione cum singulis venis societatem coit, redditque scitum illud verissimum ἔκπνουν καὶ εἴσπνουν: nulla pars quantumuis perexigua & parui momenti vix ad tempus potest vacare illo beneficio, quod egregiè confert pulsus suâ diastole & sistole trahendo aerem, & fuliginem expellendo: facit vt calor natiuus omnium actionum præcipuus opifex salutari, & benigno illo influxu temperetur, & subindè foueatur.

PVLMO viciniâ suâ, & motu, inspirando, & exspirando cor ipsum non mediocriter iuuat: ideo laxus, mollis, & spongiosus in eum finem constructus est. Spiratio indiuidua vitæ comes: tamdiu viuimus, quamdiu spiramus. Calor insitus nisi moderato aere tanquam pabulo recreetur, subitò marcescit, & perit. Denique cerebrum quamuis frigidum, & metropolis humidi, & viscidi, mentis tamen, & intelligentiæ domicilium: spiritu animali, vitalis sobole, per neruos, quos de se creat omnes subditas, & dissitas partes nunquam beare desinit, sensum, motumque liberaliter impertiendo: atque ex his tribus principiis quæ meritò de principatu certant cum reliquis partibus, tres propagines fluunt, venæ, arterię, nerui, reciproco æstu dantes, & accipientes sanguinem, spiritum, calorem: venę assident arteriis, & neruis, vt si quandò illæ multo turgeant sanguine per ναυσίωσιν in adiacentes neruos vel arterias eum eructent exsudéntque: habent quoque venæ vicissim à neruis sua commoda & vitia. Quid moror? Vt vires suas à principibus illis partibus largâ manu acceperunt, ita profectò cum fœnore quâ venæ, quâ arteriæ, quâ nerui eisdem gratam, mutuamque officij vicem rependere, & veluti ἀντιπελαργεῖν certatim gestiunt; quò fit vt non solùm superficie tenus susque deque appellente συρροῇ, sed & intrò ad ossium cauernas vsque recurrente, & superfluorum per cœcos & insensiles meatus factâ exclusione, admiranda omnium corporis partium sympathia, & conspiratio luculenter appareat.

Ergo mutua omnium corporis partium concordia quædam atque consensio.

Proponebat Lutetiæ MARTINVS AKAKIA, Parisinus. A. R. S. H. M. DC. XXXVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Iacobus Renaut.
M. Nicolaus Langlois.
M. Claudius Chrestien.

M. Gilbertus Puylon.
M. Victor Pallu.
M. Georgius Ioudouyn.

M. Dionysius Allain.
M. Lazarus Pena.
M. Iacobus Cousinot, Med. & Prof. Reg.